

praelatis, sed de euangelii ministris ac interpretibus gemino honore dignis intelligitur. Verum qui in regno pontificio fictis titulis et ementitis no-
[208:]minibus praelati, episcopi et presbyteri nuncupari uolunt, quam longe a docendi pascendique munere absunt, tam honestissimis titulis et immerito honore indigni existunt. Quicumque enim dominari in clero quaerunt et pro
5 defendendo splendore errores impiosque cultus et abusus retinent ac tuentur, ii ecclesiae hostes ac pestes, non rectores aut pastores iudicandi sunt, eo magis abominandi, quod gloriosum catholicae ecclesiae nomen tam falso, quam arroganter suae impietati praetexunt.

De Sacramentis.³⁴

10

Articulus libri, qui septenarium sacramentorum numerum constituit, admitti non potest, quoniam si de sacramentis proprie ac secundum nominis rationem et Ecclesiae uerae consuetudinem loquendum sit, non tot erunt, quot liber enumerat Noui Testamenti sacramenta, si improprie, tum erunt multo
15 plura. Caeterum cum duo iuxta propriam nominis significationem sint uera sacramenta, nimirum baptismus et coena Christi. Ceremoniae quaelibet aliae notis et partibus sacramentalibus, id est, institutione diuina, mandato communi, promissione salutis, elemento proprio, remissionis peccatorum ac reconciliationis significatione carentes, eiusdem uel uirtutis uel dignitatis cum
20 baptismo [209:] et sacra Christi coena nequaquam existimandae sunt. Eis tamen quinque, quas liber connumerat, omnem cum dignitatem tum efficaciam, quam uerbum Dei illis tribuit, nullo modo adimere uolumus: Nihilominus tamen sacrosancta sacramenta a non sacramentis prudenter discernenda sunt, et inepti et superstitiosi ritus, et pravae hominum opiniones a diuinae gratiae symbolis abesse quam longissime debent.
25

De sacrificio Missae.³⁵

Utrumque massam illam abusu et superstitionum (quam missam et missae sacrificium uocant) liber speciosis nominibus, commentis et argumentis fucare nititur, omnes tamen uere pii ac docti homines (iuxta uerbum Domini iudicantes) agnoscunt et sentiunt Missam ipsam Papisticam nec esse mortis
30 Dominicae commemorationem, nec coenae Christi celebrationem, nec fidelium communionem, sed congeriem ceremoniarum, partim impiarum, partim ineptiarum, partim inutilium, quas non diuina autoritas instituit, sed superstitionum hominum temeritas excogitauit, quibus uirtus ac ueritas coenae Iesu Christi op-
35 [210:]primitur et eneruatur, quibus dum accedunt abusus et pravae opiniones contra uerbum Dei, contra gloriam Iesu Christi et contra coenae institutionem ac legitimum usum pugnant, ea missa nec pie retineri, nec

³⁴ Vgl. Augsburg Interim XIV (De sacramentis in genere), 72–75.

³⁵ Vgl. Augsburg Interim XXII (De sacrificio missae), 102–123.